

quaerit ministros Deus: quidni? Ipse humano generi ministrat: ubique et omnibus praesto est. Audiatur licet, quemadmodum se gerere in sacrificiis debeat, quam procul resilire a molestiis ac superstitionibus: numquam satis profectum erit, nisi qualem debet Deum, mente conceperit, omnia habentem, omnia tribuentem, beneficia gratis dantem. Quae causa est diis benefaciendi? natura. Errat, si quis putat illos nocere velle: non possunt; nec accipere injuriam queunt, nec facere. Laedere etenim laedique, conjunctum est. Summa illa ac pulcherrima omnium natura, quos periculo exemit, nec periculosos quidem fecit. Primus est deorum cultus, deos credere; deinde, reddere illis majestatem suam. reddere bonitatem, sine qua nulla majestas est. Scire illos esse, qui praesident mundo, qui universa vi sua temperant, qui humani generis tutelam gerunt. Hi nec dant malum, nec habent: ceterum castigant quosdam et coërcent, et irrogant poenas, et aliquando specie boni puniunt. Vis deos propitiare? bonus esto. Satis illos coluit, quisquis imitatus est. Ecce altera quaestio, quomodo hominibus sit utendum. Quid agimus? quae damus praecepta? Ut parcatur sanguini humano? quantum est ei non nocere, cui debeas prodesse? Magna scilicet laus est, si homo mansuetus homini est. Praecipiemus, ut naufrago manum porrigat, erranti viam monstret, cum esuriente panem suum dividat. Quando omnia quae praestanda sunt ac vitanda, dicam, quum possim breviter hanc formulam humani officii tradere? Omne hoc quod vides, quo divina atque humana conclusa sunt, unum est, membra sumus corporis magni. Natura nos cognatos edidit, quum ex iisdem et in eadem gigneret. Haec nobis amorem indidit mutuum, et sociabiles fecit: illa aequum justumque composuit: ex illius constitutione miserius est nocere, quam laedi: [et illius imperio paratae sunt ad juvandum manus. Iste versus et in pectore et in ore sit:

Homo sum, humani nihil a me alienum puto.